

9. DEO TER OPT. MAX.
DUCE AC PRÆSIDE
Dissertationem

De

21
1666, 4.
JURE CON-
NEXORUM

Authoritate & Decreto

MAGNIFICI, NOBILISSIMI

& Amplissimi Jctorum Ordinis

In florentissima Argentoratensi Universitate

Pro

Summis in utroque Jure Honoribus
ac Privilegiis ritè consequendis


Solenni Eruditorum Censura

submittit

MAGNUS Seizer /
Norimbergenlis.

Ad d. Martij.

Anno M. DC. LXVI.



ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,
Imprimebat JOHANNES Schütz.

6

DEO TER OPTI
DICE RE TRADIT

JURIS
MAGISTRUM

IN
SACRA
AC PRIVILEGIIS

IN
SACRA
AC PRIVILEGIIS

1/6
1/7





C. I. N. D. N. F. C.

Proœmium.

Connexorum in Jure nostro materiam, sua semetipsam ubertate non minùs, quàm utilitate commendantem, per varia Juris loca hinc inde dispersam colligere ac veluti connectere, proque more haud temere recepto in theses quasdam digestam, sub *Disputationis Inauguralis* incudem revocare, fert animus. Sed cùm, quæ est hujus materiæ ubertas, & in nonnullis haud exigua difficultas, si pro dignitate tractanda esset, prolixiores omnino Commentarios, neque humeris meis, neque instituto, neque tempori concessio convenientes, requireret; summa illius capita potissimum tangam, è specialioribus verò pauca, eaquæ, vel mea quidem sententia, notatu digniora, vel ad

A 2

institu-

4.

institutum meum magis facientia, seligam. Indubitatam spem concipiens, sicubi fortè materiæ amplitudini ac sublimitati minùs satisfecero, faciliorem me apud bonos æquosque rerum æstimatores veniam impetraturum, qui semitam hæctenus minùs tritam ac complanatam, discendi potiùs, ac vires meas quantulascunque experiendi; præprimis verò explendi muneris, quàm vanæ ostentationis causa ingredi ausus fuerim. Hac itaque spe, Sanctissimiq̃ue NUMINIS, sine quo nihil est in homine, nihil est innoxium, auxilio fretus, operi ipsi me accingo.

T H E S I S I.

AT enim, cùm ex verbis ad rerum intelligentiam ordinariè perveniatur, & docente Socrate apud Epictetum: ἀρχὴ παιδείας ἢ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκηψις, h. e. principium doctrinæ verborum sit inspectio: unde nominum indagatio cordatis Jurisconsultis non modò non indigna, uti contra Costalium aliosque demonstrat Anton. Hering. *tract. de fidejussorib. cap. 2. in princ.* Sed vel maximè propria ac necessaria: Jac. Cujac. *lib. 24. observ. 39. in fin. & in comment. ad l. 125. ff. de verb. signif.* Card. Mantic. *de tacit. & ambig. convent. lib. 2. tit. 4. & 5. & de conject. ultim. volunt. lib. 3. tit. 3. & passim.* atque non rarò neglecto verborum

verò

5.
vero, negotioque presenti convenienti, sensu ridiculas
sæpius Andabatomachias committi cernere liceat: ne-
mo mihi, opinor, vitio vertet, si prius, quàm rem ipsam
adgrediar, pauca quædam ad vocabuli, *Connexum*,
plenioram notitiam præmisero.

II.

Connexa, in Pandectis Florentinis [quarum au-
thoritatem & divinum munus valde deprædicant Cu-
jac. lib. 6. observ. 7. Budæus in not. ad Pandect part. 1. pag.
42. & 43. & pag. 181. Elbert. Leonin. lib. 7. Emendat. &
Observat. cap. 18. n. 1. & 9.] simplici N. scribi solita, uti
Ingens, Iusti Lipsii præconio in not. ad Tacit. lib. 2. historiar.
Europæ lumen, Barn. Briffon. notatu dignum judicaf-
se refert Johann. Calvin. in Lexic. verbo *connectere*,
quod colligare, combinare, jungere significat: Cic.
lib. 1. de finib. amicitia cum vetustate connectitur, derivati-
onem & originem suam debere, notum est.

III.

Hæc Doctores Juris aliàs vocare amant *Conjuncta*:
Barbos. locupl. lib. 3. cap. 51. axiom. 1. Nicol. de Passerib. *Synonymis*.
tract. de privat. scriptur. lib. 1. pag. 37. n. 100. *Commixta*,
Cohærentia: Joh. Calvin. in Lexic. suo Jurid. voce *con-*
nexa. *Continentia*: Petr. Frider. Mindan. lib. 3. de conti-
nent. caus. cap. 1. n. 9. & passim. *Vnita*: Theod. Reinking.
de Regim. Secul. & Ecclesiast. lib. 1. class. 4. cap. 19. n. 117. *Col-*
ligata: Meichsner. decis. Cam. tit. 3. dec. 14. n. 19. *Indivi-*
dua: vid. Sigism. Scacc. de Appellat. quest. 17. limit. 21. n. 26.
Surd. decis. 199. n. 13. & alii citati apud Barbos. dict. cap. 51.
axiom. 3. Non quòd illorum individuorum numero
A 3 veniant,

6.

veniant, quæ natura partes aut divisionem non recipiunt, & aliàs indivisibilia vocantur, *vid. l. 2. §. 1. l. 72. pr. ff. de V. O.* sed quòd illa quoad Juris effectum tanquam individua cohæreant: uti ex sequentibus thesibus faciliùs apparebit.

IV.

Homonymia.

Porro *connexi* vox varias induit significaciones: aliquando enim significat conclusionem, seu id, quod ex præmissis consequitur: *Cic. lib. 2. Academ. question. ipsa etiam ratio connexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere.* Quo sensu etiam connectendi verbo usus est *lib. de divin. 2. si verum est, quod ita connectitur; si quis oriente Canicula natus est, is in mari non mergitur, &c.* Sæpius verò connexum significat conjunctum, coaptatum, cohærens; ut apud *Cicer. de natur. Deor. qui tam certos cæli motus, tam raros Astrorum ordines, tamq, omnia inter se apta & connexa viderit. Et de finib. est apud illos ordo rerum conservatus, & omnia inter se apta & connexa.* Et in *Somn. Scipion. novem tibi orbibus connexa sunt omnia.* Qua de re pluribus videri possunt Lexicographi. Mihi in hac tractatione secunda eaque frequentior retinenda est significatio.

V.

Jam ut rem ipsam aggrediar: hæud paucas connexorum descriptiones apud Juris Doctores reperire est. Quidam connexa dicunt, quorum unum sine altero stare vel esse nequit: *vid. Barbos. d. lib. 3. cap. 51. axiom. 1. Fulv. Pacian. tr. de probat. lib. 1. c. 26. n. 19. & seqq. Nicol. Vigel. in Dialect. Jur. cap. de connexis p. 41. connexa putat, inter quæ est aliqua relatio, quæque sint in prædi-*

prædicamento relationis. Alias, & eas quidem benè multas, referunt Nicol. de Passerib. *dict. tract. de privat. scriptur. cap. de connexis*, & Menoch. *de arbitr. judic. quest. cas. 95.* Nonnulli, quæ connexa dicenda sint, Judicis relinquunt arbitrio; uti testatur, ab illorum sententia non omnino alienus, Menoch. *d.l. n. 4.* reprehensus propterea à Caranz. *tract. de part. natural. & legitim. cap. 12. §. 5. n. 47.* & Sigism. Finckelth. *observ. 100. n. 22.* quòd ad locupletandum suum de arbitrariis judicum quæstionibus tractatum ferè omnia, quantumvis jure certo definita & indubitata, fecisset arbitraria: vid. Brunemann. *ad l. 10. C. de judic.* Mihi ita commodè *defini-* *Definitio.*
niri posse videntur *connexa*, ut *sint res due pluresve individuo nexu coherentes.*

VI.

Generis loco posui *res*, in latiori significatione sumptas, quatenus & personas & actiones comprehendunt: *fac. tit. Instit. de reb. corporal. & incorporal.* *Differentia* verò *specificæ* inservit notæ individuae cohesionis, non tamen ita crudè accipiendæ; quasi connexa nulla unquam ratione separari aut dividi queant; fieri enim separatifonē aliquando justā ob causam posse, infra satis elucescet: sed, quòd illa ex voto & intentione connectentium separari vel dividi non debeant. Ut ita accuratè loquendo magis sint indivisa, quàm indivisibilia. Quomodo *in §. 1. Inst. de patr. potest.* nuptiæ quoque dicuntur conjunctio; individua vitæ consuetudinem continens: ex intentione scilicet nuptias contrahentium: Locam. *in not. ad d. §. lit. d.* & Summi non
 minùs

8.
minùs Legislatoris prima institutione: Matth. cap. 19.
vers. 8. quàm Imperatorum voto: arg. l. 18. C. de inoffic.
testam. cùm illas morte, adulterioque & malitiosa de-
sertione dirimi, cùm S. literæ: Matth. cap. 5. v. 32. 1. ad
Corinth. 7. vers. 11. tùm verò Imperatorum Sanctiones,
ipsaque quotidiana experientia, certissima rerum ma-
gistra, plus satis edoceant.

VII.

Uti verò aliquid in jure nostro dici possit conne-
xum, non semper opus est, ut cum alio unitate corpo-
ris cohæreat, veluti fructus fundo cohærentes: l. ult. §. 6.
ff. quæ in fraud. credit. sed sufficit, quòd manifesta & pro-
babili ratione cum alio conjunctum sit: vid. Petr. Frid.
Mindan. de contin. caus. c. 2. n. 5. Nam pleraque conne-
xa à se invicem sunt separata, fiunt tamen conjuncta
quoad Juris effectum: utque aliquid connexum dici
queat, satis est, ut vel in uno ex ipsis dependentia vel
connexio, communem Juris effectum inducens, con-
siderari possit: uti ex Bald. ad L. ampliorem. n. 4. vers. Sed
quæro. C. de appellat. notat Fulv. Pacian. de probation. lib. 1.
cap. 28. n. 14. & seq. & n. 49. & passim.

VIII.

Disiisio.

Non minùs variæ, eæque quàm plurimæ, conne-
xorum à Doctoribus afferuntur *divisiones*: uti ap.
Pacian. dict. tract. lib. 1. cap. 26. n. 4. & multis sequentibus.
Cardin. Tusch. in Practic. conclusionib. lit. C. conclus. 625.
Nicol. de Passerib. d. tract. de privat. scriptur. lib. 4. p. m.
648. & seqq. aliosque videre est. Mihi præ reliquis se-
quentes, utpote notatu digniores, adducere placet:
quòd

quòd 1. connexa alia sint naturalia; qualis connexio est inter patrem & filium, omnesque sanguine conjunctos: *l. 1. §. 10. ff. de suis & legit. hered.* alia industrialia, ut ostia ædificio juncta *in l. 59. ff. de Rei vindicat.* 2. connexorum quædam publicæ Legislatoris auctoritati, uti connexa petitorii & possessorii cognitio: *l. 10. C. de judic. vid. th. 21. & seqq.* quædam privatæ hominum voluntati originem suam acceptam, ferunt: qualia connexa sunt cohæredes, duo plurésve socii. 3. Alia cõnexa sunt absolutè, ut fructus fundo cohærentes: *dict. l. ult. §. 6. ff. quæ in fraud. credit. fact.* alia quatenus inter ipsos est respectus; ut Canonicatus & præbenda: *vid. Pacian. d. tr. de probat. cap. 26. n. 5. & seqq.* Examen Doctorandi & honorum collatio: *vid. thes. 39.* 4. Alia separabilia sunt, alia inseparabilia.

Impulsiva connexorum causa 1. plerunq; est ^{*Causa impulsiva.*} *utilitas, justis propè mater & equi: Horat. lib. 1. Satyr. 3.* *vid. Hug. Grot. de Jur. bell. ac pac. in proæm.* eaq; vel privata connentium: ut in correis stipulandi, & sociis cernere licet: vel publica, ut abbreviatio litium & discordiarum, maximarum Reipublicæ pestium: *l. 13. pr. C. de judic. cap. ult. extr. de Rescript.* Aliquando 2. *necessitas*, ut evitetur absurdum, ex diversis variorum Judicum cognitionibus ac sententiis, sibi aliquando adversantibus, emergens; id quod eleganter, ut omnia, demonstrant *Georg. Obrecht. tr. de Jurisdic. lib. 3. c. 15. n. 2. & seqq.* *Petr. Frider. de contin. caus. c. 2. n. 3.* *Bened. Carpzov. lib. 2. Respons. 16. n. 8. & seqq.*

B

Confi-

Constituuntur Connexa vel 1. *natura*, qua-
 lis connexio est in fructibus fundo coherentibus: *l. ult.*
§. 6. ff. quæ in fraud. credit. fact. add. l. 1. §. 10. ff. de suis & legi-
tim. hered. vel 2. *opera humana*, ut contingit in æ-
 dificio junctis: *l. 59. ff. de rei vindic.* vel 3. *casu*, ut fit
 in alluvionis incremento: *§. 20. Instit. de rer. divis.* vel
 4. *voluntate dispositioneque hominis*; ejusque vel
 publica autoritate in republica præminentis, sive
legislatoris: ut possessorii & petitorii connexitas: *l. 10.*
C. de judic. tutelæ officium & admonitio minoris de cu-
 ratore, tutela finita, sibi petendo, in *l. 5. §. si tutor.*
5. ff. de administr. & pericul. tut. 5. vel privati: sic
 est connexa administratio illius, quod servus post ade-
 ptam libertatem gerere pergit, cum eo, quod ab ipso
 adhuc servo gestum erat: *l. 17. ff. l. 21. C. de negot. gest. fac.*
l. 37. §. 1. ff. d. t. de administr. & peric. tut. & quidem vel
in testamento, ut si quis plures ad hereditatem suam
 vocet: *l. un. §. 10. C. de caduc. toll. §. 8. & seqq. Instit. de*
hered. instit. vel pluribus unam eandemque rem con-
 junctim leget: *§. 8. Instit. de legat. l. 1. ff. de usufr. accresc.*
l. conjunctim. 89. ff. de legat. 3. vel *inter vivos* per con-
 tractus, ut si plures stipulando se ad alicujus rei vel fa-
 cti præstationem adstringant: *t. t. Instit. ff. & C. de duob.*
reis stipuland. & promitt. vel pacta contractibus adjici-
 antur: *l. 7. §. 5. ff. de pact. vid. thes. 40.* vel in Judicio va-
 ria Juris remedia in uno libello jungantur, quo de
 vid. Obrecht. *de concept. & format. libell. cap. 24.* Petr.
 Frider.

Frider. Mindan. *de contin. caus. c. 10. & seq.* Speckhan.
cent. 1. *quest. 66.* Andr. Gail. *lib. 1. observ. 63. & ibi Bern.*
Græv. *confid. 1. aliosque.*

XI.

Objectum connexorum tam latè ferè patet ac *Objectum.*
Jus nostrum univèrsum : versantur enim 1. circa
personas, ut sunt vir & uxor: §. 1. *Instit. de patr. potest.*
Nicol. Vigel. *in Dialect. Jur. cap. de connexis. pag. 42.* Tu-
tores & curatores duo pluresve, unitutelæ vel curæ
præpositi: *t. t. C. si ex plurib. tut. vel curat. omnes vel un.*
conven. vel ag. poss. t. t. C. de divid. tut. & pro qua part. quis-
que tut. conven. Socii: t. t. Inst. ff. & C. de societ. Eius-
dem litis consortes: *t. t. C. de consort. ejusd. tit. 2. Res,*
easque vel corporales, ut sunt urbs ejusdemque conti-
nentia: *l. 147. & l. 173. §. 1. ff. de V. S. id, quod fundo lega-*
to testator adjecit: l. 10. ff. de legat. 2. fructus fundo co-
hærentes: l. ult. §. 6. ff. qua in fraud. cred. fact. Vel
incorporales, ut sunt pacta contractibus adjecta: *d.*
l. 7. §. 5. & seqq. ff. de pact. unio Ecclesiarum: cap. sicut u-
nire. 8. extr. de Excess. Pralat. & subd. vid. Gail. lib. 2. obser-
vat. 61. n. 10. & seqq. & lib. 2. observ. 125. n. 12. Jura filiatii-
onis liberorum diversarum nuptiarum unita: de qua
Prolium unione vid. Gail. *dict. obs. 125. n. 1. & seqq.* Ja-
cob. Rick. *tract. de union. prol. Carpzov. lib. 5. respons. 6.*
Wehner. *consil. Franc. 66. 69. & 94. Besold. in Thesaur.*
Pract. voce. eine Kindschafft. 3. *Actiones*: ut conne-
xitas possessorii & petitorii: *d. l. 10. C. de Judic. conven-*
tionis & reconventionis, uti cujus quis in agendo arbi-
trium

trium observat, eum habere & contra se judicem in eodem negotio non dedignetur: l. 14. C. de sent. & interlocut. omn. judic. l. si idem. II. §. 1. ff. de jurisd. l. 22. ff. de judic. Nov. 96. c. 2. t. t. extr. de mut. petition. vid. Andr. Gail. de pac. publ. lib. 1. c. 12. Petr. Frider. Mindan. d. tract. de contin. caus. cap. 6. & 7. Obrecht. de Jurisdic. lib. 3. cap. 16. Coepti jam inter alios litigii & interventionis: l. 29. pr. ff. de inoff. testam. l. 19. C. de liberal. caus. l. 63. ff. de re judic. l. 5. pr. l. 14. ibi: apud ipsum judicem, qui cognoscit causam agere: ff. de appellat. Gail. lib. 1. observ. 69. & seqq. Petr. Frider. Mind. dict. tract. c. 8. & 9. Adeò, ut Fulv. Pacian. d. tr. de probation. lib. 1. cap. 26. n. 1. affirmare haud dubitet, nullam juris partitionem, nullamque ferè causam & judicium esse, in quo non aliquando de connexorum virtutibus atque effectu disceptari contingat.

XII.

Formas *Forma connexorum* consistit in ipsa conjunctione vel combinatione; seu illo actu naturæ, casus, legis, hominisve; quo res plures, aliàs distinctæ, coadunantur, sive componuntur, ita, ut quoad juris effectum separari non debeant. Sic connectuntur maritus atq; uxor legitimo matrimoniali consensu: l. 30. ff. de Reg. Jur. Socii mutua Societatem contrahendi voluntate: princ. Instit. de Obligat. ex consens. l. 19. ff. pro socio. Cohæredes atque collegatarii ultima, legitima tamen, testatoris, utramque in testamentis paginam faciente: l. 35. §. 3. ff. de hered. instit. l. 23. §. 1. in fin. C. de legat. voluntate, pluribus hereditatem vel legatum relincente.

XIII.

Finalis connexorum causa est publica vel privatorum utilitas atque commodum; aliquando etiam absurdi evitatio, qua de re paulò ante *in thesi* 9. pluribus dixi.

XIV.

Connexorum Effectus in ipsorum virtutibus consistit ac potestate. Hic verò in tanta connexorum, per omnes Juris nostri partes dispersorum, copia amplissimus differendi campus mihi aperitur: sed instituti mei ac promissi memor, generalia potissimum sectabor, eadem tamen nonnullis exemplis illustraturus simul atque declaraturus.

XV.

Circa effectum & virtutes connexorum varia varii Doctores afferunt, uti videre est apud citatos à Dominic. Tusch: *in practic. conclusion. lit. c. conclus. 625. & seqq.* Arism. Tapat. *decis. tit. 358.* Aloyf. Ricc. *decis. 677. & 364.* August. Barbof. *in Axiom. Jur. verbo connexum.* Arnold. de Reyger. *in Thesaur. Jur. verb. connexa.* Sed ea ferè omnia in binas generales regulas redegit sapè hæctenus allegatus Fulv. Pacian. *d. lib. 1. de probat. cap. 26. n. 15. & seqq. & cap. 27. per tot.* quem etiam sequitur Nicol. de Passerib. *d. tract. de privat. script. l. 4. cap. de connexis. fol. 653.* Prior est: *quod connexorum idem sit judicium.* Altera verò: *quod connexa, invicemq; unita, communicent sibi actiones, jura, consuetudines, privilegia, immunitates.* Ego, quo

quò diutius mentem in his figo, eò magis in illam inclino sententiam, hanc posteriorem sub illa priori jam tunc comprehendi: sequar tamen Paciani ductum.

XVI.

Fundament.

Fundamentum regulæ primæ Doctores ponunt in l. 17. §. 1. ff. de negot. gest. l. 37. §. 1. ff. de administr. & pericul. tutor. l. II. C. arbitr. tutel. l. 3. §. 8. ff. de contr. tutel. action. l. 21. C. de negot. gest. cap. translato. 3. extr. de Constitut. cap. præterea. s. extr. de offic. & potest. delegat. aliisq; pluribus Juris textibus, jam allegatis & mox allegandis.

XVII.

Exempla.

Exempla hujus regulæ adferre possem ferè infinita; sed extanto illorum numero aliqua saltem, & ea quidem notatu digniora, seligam. Familiam ducunt nobilissimum connexorum par, Maritus scilicet & uxor, quorum legitima connexio hoc efficit, ut una eademque reputetur persona: Genes. c. 2. vers. 24. Matth. cap. 19. vers. 6. Sic etiam uxor dicitur socia viri tam divinæ quàm humanæ domus: l. adversus. 4. C. de crim. expilat. heredit. l. 1. ff. de rit. nupt. l. 1. ff. de action. rer. amot. Intellige secundum Juris fictionem quoad jura domicilii, dignitatesque: l. ult. C. de incol. l. 65. ff. de judic. l. 22. §. 1. l. 38. §. 3. ff. ad municipal. & alia commoda matrimonii, partitionem etiam infortuniorum: l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. Reapse enim alia est persona mariti, alia uxoris; & ideò in multis diversimodè considerantur, nec una persona pro alia obligatur: t. t. C. ne ux. pro marit.

XVIII.

Mandatarius, cui aliqua negotia expedienda injuncta

sta

Etā fuere, si etiam ad connexa, quæ commodam ab illis separationem non admittunt, & sine quibus mandatum impleri non potest, manus extenderit, mandati terminos transiisse haud videtur: post Felin. Castrenf. & alios Fulv. Pacian. *d. cap. 26. n. 43.* Andr. Gail. *lib. 1. observ. 35. n. 10.* Hinc procurator, ad agendum tantum, mandatum habens, contra rei quoque exceptiones mandantem defendere tenetur: *l. 33. §. 3. ff. de procurat.* Et Principis commissarius de connexis judicare potest absque secunda Principis iussione: Nam ad ea quoque mandatum pertinere intelligitur, quamvis nulla in rescripto illorum facta fuerit mentio: *cap. prudentiam. 21. §. sexta nobis inf. & §. si vero. extr. de offic. & potest. deleg. c. preterea. 5. extr. eod. tit. l. 2. ff. de Jurisdic.* Licet enim delegatæ Jurisdictionis fines diligenter observandi, eaque ultra expressa regulariter extendi non debeat: *arg. cap. cum olim. 32. extr. de offic. & potest. delegat. l. 5. pr. ff. mandat. attamen ad connexa licite quoque porrigitur: dd. textib.* Gail. *d. observ. 35. n. 8. & seqq. & lib. 1. de pac. publ. cap. 6. num. 26.*

XIX.

Connexitatis etiam hæc est virtus, uti Judex super aliqua causa cognoscendi potestatem aliàs non habens, quæ tamen causæ, suæ jurisdictioni subjectæ, & coram se in judicium deductæ, connexa sit, atque ab ea dependeat, illam quoque sua sententia terminare possit: *l. 1. C. de ordin. judic. ibiq. Gothofr. add. Ant. Perez. ad tit. C. ubi caus. stat. ag. deb. n. 3. l. 3. C. de judic. Sichard. ad dict. l. 3. num. 4. Petr. Frider. Mindan. d. tr. de contin. caus. c. 5. num. 32. & seqq.*

XX. E. G.

E. G. Mævius à Sempronio petit hereditatem fratris sui coram Prætore: Sempronius ab initio Mævio hereditatem illam deberi simpliciter negans, postea verò coram iudice, à Prætore cum formula dato, Mævio se liberum esse affirmanti, status quæstionem movet, *fac. d. l. 1. C. de ordin. judic.* Hoc in casu licet iudex datus de statu Mævii absolute pronuciare non possit: *arg. l. 32. §. de liberali. 7. ff. de recept. qui arbitr. l. pen. & ult. ibi: maximos iudices. C. ubi caus. stat.* incidenter tamen, quatenus hujus causæ notio ad principalis de hereditate quæstionis notionem spectat, cum eaq; individuo nexu conjuncta est, de illa quoque cognoscere poterit: *d. l. 1. C. de ordin. judic. & d. l. 3. C. de judic.* Ut ita extrema causæ principalis definitio incidentem & connexam status quæstionem terminet: non quidem per se, quia de illa non pronuciatur, sed tacite tamen, & per consequentiam, quòd causa principali discussa, hæc quoque terminata videatur: *Obrecht. tract. de Jurisd. l. 3. c. 15. n. 51. & seqq.*

XXI.

Hoc amplius causæ ob singularem Juris & facti cognitionem, quam inter se habent, connexæ, divisionem regulariter respuunt, & coram eodem iudice cognosci & disceptari debent. Inter quas causas eminet iudicii possessorii & petitorii connexitas; quæ duo invicem sunt connexa, non saltem ratione rei, sed etiam, quia finis possessorii plerumque est principium petitorii, uniusque cognitio alterius intelligentiam affert aptiorem. Hinc actio de possessione prima & præparatoria vocatur:

vocatur: *l. 1. §. f. ff. de aq. quot. & estiv.* Idcirco illorum cognitio coram uno eodemque iudice terminanda, non dividenda est: *l. 10. C. de judic. l. 13. C. de rei vindic. cap. ad hoc uxit. 1. vers. Sed Index. extr. de sequestr. poss. cap. susceptis. 1. extr. de caus. poss. & propriet.* Andr. Gail. *lib. 1. obs. 32. n. 11.* Mindan. *de contin. caus. cap. 5. n. 38. & seqq.* Ben. Carpzov. *tit. 3. de process. art. 5. n. 9. & seqq.*

XXII.

Symmach. *citatus à Gothofr. ad. d. l. 10. C. de judic. lit. m.* Cujac. *lib. 2. obs. 35. & alii d. l. explicant, quòd possessorium & petitorium commodè quidem ab uno iudice definiantur; attamen hoc non sit necessitatis, ad eò, ut, si de possessione alicujus rei & proprietate simul controversia movenda sit, apud unum de possessione, apud alium verò iudicem de proprietate disceptari possit.* At verò hoc textibus allegatis minùs conveniens esse videtur, & in *d. l. 10.* poenæ animadversione digni judicantur de possessione & proprietate in diversis iudiciis litigaturi: vid. Vult. *lib. 1. de judic. cap. 4. n. 229.* Menoch. *de arbitr. judic. quest. lib. 2. cent. 4. cas. 371. n. 4. & seq.* Mind. *d. l. Carpzov. d. l.*

XXIII.

Hæc tamen, quæ hactenus de iudiciorum possessorii & petitorii connexionem dicta sunt, procedunt, si possessorio absoluto petitorium etiam esset tractandū; tunc enim petitorium coram alio, quàm possessorii iudice instituere non liceret: modò is quoad proprietatem quoque competentem habeat jurisdictionem. Nam cui nuncupatim & in specie possessionis cognitio

C est

est commissa, ob causæ connexitatem simul etiam de proprietate non poterit cognoscere: nisi incidenter. Id quod contingeret, si fortè possessorium per titulum coloretur, *add. thes. 19. & 20.* quod in possessionis retinendæ iudicio non inutiliter fieri solet. *Gail. de pignorat. cap. 22. n. 10.* Si enim uterque æqualiter possessionem probet, nec de antiquiore alterutrius possessione constet; tunc si unus titulum suæ possessionis probet, alter non, quia ex titulo iudici est perspicuum, possessionem non esse clandestinam, violentam aut precariam, merito pro titulata, ut loqui amant, possessionem probante pronunciandum esse, vult *Gail. d. cap. n. 9. & seqq. & plures ibi alleg. Dd.* quòd ad retinendam possessionem sufficiat, si possessor, se litis contestatæ tempore nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidere, probare possit: *§. retinenda. 4. Instit. de Interdict.* *Add. Jacob. Menoch. de remed. possess. retinend. 3. n. 594. & remed. poss. recup. 1. n. 207.*

XXIV.

Illud adhuc quærere lubet: si litigans in possessorio iudicio à lite desistat, neque illud ad finem perducat, an coram alio iudice possit de proprietate disputare? Ego negantium subscribendum puto sententiæ, propter generalem & non distinguentem textum *in d. l. 10. C. de iudic. l. 13. C. de R. V. junct. arg. l. 1. §. 2 ff. qua. in fraud. credit. fact.* quodque ratio, ob quam Legislator hæc duo iudicia conjungenda censuit, quia nimirum unius cognitio aptiorem facilioremque cognitionem alterius afferat, etiam hoc in casu inveniatur locum: iudex enim de causa possessionis jam informatus, felicius

cū pariter ac citius, si apud eundem proprietatis quaestio ventiletur, de proprietate informari poterit: Bened. Carpzov. p.3. decis. 215. ubi haec praedictis confirmat.

XXV.

Si quando connexitas venit ex generalitate actionis, quae competit adversus plures personas, vel lege vel privata hominis voluntate conjunctas, diversis tamen jurisdictionibus subjectas: illa, ne causae continentia dividatur, coram omnium proximè superiori iudice proponenda est: l. 1. & 2. ff. de quib. reb. ad eund. judic. eat. ibique Gothofred. lit. g. l. 5. C. arbitr. tut. l. 10. C. de jud. ibiq. Dd. Menoch. de arbitr. judic. question. cas. 371. n. 11. Mind. de continent. caus. c. 4. Carpz. tit. 3. de process. art. 5. n. 16 & lib. 2. respons. 16. Hinc etiam Camerae Imperialis jurisdictionem ob causae continentiam fundari, testatur Mynsing. cent. 1. observ. 4. Gail. lib. 1. obs. 32. n. 1. Philipp. Tennagel, de discernend. process. class. 3. cap. 17. n. 1. & seqq. Idque ex ipsa Imperii lege in Recess. Deput. de anno 1600. §. Bey unserm Käiserl. Cammergericht. 23. & §. seq. Gleichermassen, expeditum est.

XXVI.

Ut, si plures tutores, socii, coheredes, diversis foris gaudentes, conveniendi; Judex horum reorum omnium proximè superior est ad eundem, ad ejusque tribunal haec personae conjunctim vocandae: per jura & Dd. supra allegat. Quamvis enim alias instantiae, utpote subditorum beneficia, ipsis invitis & in praedictum iudicis adimi nequeant: arg. can. pervenit. 39. caus. 11. qu. 1. cum vel maximè utile sit plures habere instantias, uti

jura, in prima instantia parùm vel planè non deducta, in sequentibus instantiis adhuc deduci & probari queant: *l. 4. C. de temporib. appellation. vide Mascard. de probat. volum. 1. conclus. 118. cùm faciliùs ferè in pluribus investigetur veritas: arg. cap. prudentiam. extr. de offic. & potest. delegat. attamen ejusdem rei & causæ nomine nemo in pluribus litigare tenetur instantiis, ne connexa dividantur; sed si usu veniat, plures personas connexas convenire, illarum omnium proximè superior adendus est iudex: dd. text. Carpzov. d. lib. 2. resp. 16. n. 3. & seqq. vide tamen eundem lib. 2. resp. 17. n. 10. & seqq.*

XXVII.

Atque hæc procedunt, licet 1. quidam reorum mediatè, quidam immediatè superiori Magistratui sint subjecti: sufficit enim illos uni iudici superiori subesse, coram quo, ut ipsorum causa decidatur, suadeat connexitas, publica que non minùs, quàm privata utilitas: vid. Mynsing. cent. 1. observ. 4. n. 4. Carpzov. tit. 3. de process. art. 5. n. 22. Roding. in Pandect. Cameral. lib. 1. tit. 14. §. 19. pag. 21.

XXVIII.

Nec 2. impedit, quòd unus ex pluribus reis conveniendis singulari fori gaudeat privilegio: vid. Carpzov. d. art. 5. n. 24. & lib. 2. respons. 16. n. 19. & seqq. Nam cùm & hoc in casu publicè pariter & privatorum interfit, causam connexam non dividi; non immeritò hujusmodi privilegium strictè explicandum erit, ut tunc privilegiatus illo uti possit, quando solus in jus vocatur, non autem, si adhuc plures habeat correos: Obrecht. d. tr. de jurisdic. lib. 3. cap. 15. n. 15.

XXIX.

Sic contra Principem aut statum Imperii jure primæ instantiæ, sive, uti vocantur, Austregarum, gaudentem atque illius subditum vel ministrum conjunctim acturus actionem in Camera instituere potest: *dict. Recess. Deputat. §. Gleicher massen wenn einer 2c. Mind. d. tract. cap. 4. n. 7. & seqq. Ott. Meland. ad Ordin. Cam. p. 1. fol. 61. Tennagel. tract. de decern. process. class. 3. cap. 7. num. 3.* ubi tali modo in causa *Hohenlohe* contra *Würzburg* processum testatur. Etenim hoc Austregarum privilegium strictè in tali casu erit interpretationis, nec vim suam exercere poterit. Id quod tamen limitandum, ut tunc procedat, quando subditus suum quoque speciale, certum propriumque interesse in causa illa cum Principe suo communi asserat: secus enim esset, si res ad Principem vel Dominum ejusque utilitatem atque jus principaliter spectaret, & subditus saltem ideò domino jungeretur, quòd causæ vel negotio fortè interfuerit, jussu vè domini aliquid fecerit, *Mind. dan. dict. loc.*

Nec 3. refert, an inferior Magistratus speciale, de non evocando subditos extra suum territorium, habeat privilegium, vel non: cùm etiam hoc, de non evocando privilegium, ita explicandum sit, ut quàm minimè Reipublicæ saluti sit inimicum, utque tunc effectum sortiatur, quando subditus nullos alios habeat correos: *Mind. dict. tr. cap. 3. num. 7. Bened. Carpzov. lib. 2. respons. 17. num. 4.*

XXXI.

Quæ de personis pluribus connexis, diversorum
 judicum jurisdictionibus subjectis, hucusque dixi; ea-
 dem in rebus quoque, in diversis jurisdictionibus sitis,
 connexam tamen rationem habentibus, locum inve-
 niunt. Si enim reus earum causa conveniendus, nec
 tunc connexitas dividenda, sed coram illarum omnium
 proximè superiori iudice actio moveri debet: *l. 1. & 2.*
ff. de quib. reb. ad eund. judic. eat. l. 5. C. arbitr. tut. Gail.
lib. 1. observ. 32. n. 5. Mindan. de contin. caus. cap. 3. per tot.
Carpzov. tit. 3. de process. art. 5. n. 33. & seqq. lib. 2. respons.
18. neque hoc in casu reus coram iudice superiori con-
ventus beneficium primæ instantiæ opponere potest:
add. thes. 26.

XXXII.

E. G. Titio Civi Altorffensi mutuo dedi 100. flor.
 sub constituta mihi omnium, vel certorum, bonorum
 hypotheca, quam in casu non servatæ fidei apprehen-
 dere, illaque ad plenam mei satisfactionem uti possim.
 At verò, debitore isto non solvente, bonisque illius par-
 tim sub præfectura Altorffina, partim Herzbrucensi,
 partim etiam Laufensi, existentibus, ne connexitas di-
 vidatur, coram Incluto Norimbergensi Senatu, tan-
 quam Iudice harum præfecturarum proximè superio-
 ri, de jure meo experiri poterò.

XXXIII.

Nec refert, an aliquis propter plures res allodia-
 les, an partim etiam feudales conveniatur: dummodo
 de his posterioribus talis moveatur controversia, quæ
 coram

coram iudice ordinario, non autem Paribus Curiae, sit decidenda: vid. Mindan. *dict. cap. 3. n. 9.* Add. Conrad. Rittershus. *partit. feudal. lib. 2. cap. 9.* Georg. Obrecht. *tract. Feudal. lib. 4. c. 10.* Cùm enim jure Feudali contrarium nullibi dispositum reperiatur, & ratio hujus juris, Reipublicae scil. & privatorum utilitas, cui litium protractio maximè inimica est, etiam hìc militet; idcirco nec aliud dicendum arbitror: *arg. 2. F. I. pr.* Obrecht. *tract. de Jurisd. d. c. 15. n. 21. & seqq.* Nec 2. movet, an quaedam res in territorio Magistratus superioris, quaedam verò inferioris, an verò omnino extra territorium Magistratus superioris sint sitae. Omnibus enim hisce in casibus reus ad iudicis proximè superioris tribunal vocari poterit: Obrecht. *d. tract. de Jurisd. dict. cap. 15. n. 27.*

XXXIV.

Illud quæri posset? si plures res petantur actionibus ex diversis fundamentis ortis: ut si quis à Cive Laurenfi duas petat domos, unam Herzbruci sitam ex causa emptionis venditionis, aliam Altdorffii ex aliqua assecuratione sibi facta constitutam, isque ambas possideat; an superior Inclutæ sc. Reipublicae Norimbergensis Magistratus sit iudex competens? Ego negantium opinioni calculum adjicio: nulla enim hic fingi potest connexitas, non respectu rerum, utpote diversis subjectarum præfecturis, nec in causa actionis, quippe ex diversis ortæ principiis: vid. Carpzov. *lib. 3. de process. art. 5. n. 39. & lib. 2. respons. 18. n. 16. & seqq.* ubi affert præjudicia. Magnif. Dn. Doctor Lauterbach. Patronus & Præceptor meus obsequiosa mentis veneratione ætatem

24.
tem colendus, ad tit. ff. de quib. reb. ad eund. jud. eat. vers.
præterea hoc etiam.

XXXV.

Connexitas actuum unius iudicii, apud aliquem
iudicem cœpti: vid. Mindan. de continent. caus. cap. 5.
n. 4. & seqq. hoc efficit, uti litis coram ipso cœptæ dis-
ceptatio ad alios, vel diversos iudices, distrahi nequeat:
l. 30. ff. de iudic. l. ult. inf. C. de in jus vocand. [quam ut-
pote in omnibus Codicibus non exstantem nobis re-
stituit Cujac. lib. 13. obs. 11.] adeò, ut actor reum postea
impunè ad alium iudicem citare non possit: vid. Gail.
lib. 1. observ. 32. n. 6. & seq.

XXXVI.

Nec aliud dicendum puto, etiamsi exemptionis
superveniat privilegium; nihilominus enim in cœpto
iudicio erit permanendum: arg. l. 7. ff. de iudic. l. ult. §. 1. C.
de in jus vocand. l. 30. ff. de iudic. junct. l. 1. §. 2. ff. quæ in
fraud. creditor. fact. sunt. Cujac. lib. 13. obs. 11. inf. Georg.
Franzk. ad d. tit. ff. de iudic. n. 50. & seqq. Hoc amplius,
si lis à defuncto contestata, isque heredem relinquat di-
versi vel privilegiati fori, instantia tamen contra de-
functum cœpta transit quoque in successores privilegi-
atos: l. heres absens. 19. pr. l. si is. 34. ff. de iudic. arg. l. 177.
pr. ff. de R. I. Gail. lib. 1. obs. 37. n. 8. & seq. ubi hanc sen-
tentiam communem & in Camera receptam affirmat:
Mindan. d. tr. cap. 5. n. 6. & seq.

XXXVII.

Quod si tamen reus coram alio iudice conventus
compareat; adversarius, postea de litis pendentia
coram primo iudice opponens, &, ut causa ad iudicem
primum

primum remittatur, urgens audiendus non est; ne sua culpa contraque leges delinquens commodum consequatur: *arg. l. 37. §. fin. inf. ff. de Minorib.* quod contingeret, si ipsi concederetur, ut pro lubitu adversarium, coram secundo iudice non sine magno fortè labore comparentem, ad prius iterum revocare posset iudicium: vid. Petr. Francisc. *de Tondut. part. 1. de prævent. jud. c. 13. n. 8.* Sic etiam reus conventus contumax, & nō comparens, non obstante cœpto coram uno iudice, ubi contumacem se gerit, litigio, poterit accusari & conveniri apud alium, ubi magis cogi & normæ subjici queat: Jul. Clar. *præct. crim. lib. 5. §. fin. q. 16. vers. an verò. 3. Mind. d. tract. cap. 5. n. 57. & mult. seqq.* ubi plures recenset limitationes.

XXXVIII.

Etenim licet hæc connexorum conjunctio regulariter sit necessitatis: *d. l. 10. C. de judic. add. th. 22.* causamq; connexam dividentes poenâ affiendi: *d. l. vid. Sichard. ad d. l. 10. in fin. Petr. Frid. Mind. d. tr. c. 2. n. 3. in fin. Carpz. d. lib. 3. de process. art. 5. n. 31.* Attamen istiuscemodi causas, exceptione continentia [maximè hodiernis moribus] non opposita, vid. Gail. *lib. 1. obs. 32. n. 12. & seq. Mind. d. c. 2. n. 9. Petr. Francisc. de Tondut. d. tr. de prævent. judicial. p. 1. c. 13. n. 3.* aliasq; justas ob causas dividi & in diversis iudiciis proponi posse, tradunt præter citatos Dd. Herm. Vult. *tr. de judic. lib. 1. c. 4. n. 220. Georg. Obrecht. tr. de juris d. l. 3. c. 15. n. 38. & seqq.* Sic etiam licitè fieri iudicii cœpti mutationem, si pars litis pendentia exceptionem non opponat, testatur Marant. *part. 2. de ordin. judic. n. 43.*

XXXIX.

Ante verò quàm exemplorum, huic regulæ illustrandæ inservientium, quorum longè plura in medium afferri

D

ferri

ferri possent, & à Dd. imprimis Fulv. Pac. *d. tr. de probat. c. 26. & 27. aliisq; supr. th. 15. allegatis*, congeruntur, finem faciam; non possum non ipsorum numerum claudere illo, quod à Sichard. *ad d. l. 10. C. de judic. n. 13. Menoch. de arbitr. jud. quæst. cas. 37 l. n. 16. & seq.* adfertur: nimirum studiosum, qui se in aliqua Universitate examinibus pro summis in facultate aliqua honoribus atque privilegiis consequendis subjecit, eaq; sustinuit, & brabeo dignus judicatus fuit, alibi locorum in Doctorem promoveri non posse. Quod quidem eo in casu limitant, quando Candidatus ibi denuò examen subire vellet, etiamsi juramento, se honores illos in alia Academia non suscipiturum, promississet: verùm hoc non satis mihi tutum videtur, cum omne juramentum, in tertii præjudicium non redundans, nec observatum in dispendium salutis æternæ vergens, servandum sit: *cap. cum contingat. 28. cap. si verò. 8. extr. de jurament.*

XL.

Quòd verò, ut alteri illi ex Paciano *d. l. adductæ regulæ* faculam quoq; accendam, connexa sibi communicent jura & actiones, illustre exemplum habemus in *l. 7. §. 4. & seqq. ff. de pact.* Quamvis enim pacta aliàs nuda, in meris placiti terminis subsistentia, naturaliter tantum obligent, nec eam vim de jure civili habeant, ut ex illis actio nascatur: *l. 27. C. de locat. l. 7. §. 4. l. 41. l. 45. ff. l. 10. C. de pact.* cujus rationem vid. ap. Arnold. Vinn. *tr. de pact. c. 6. n. 3. & seqq.* quòd si tamen contractui in continenti addantur, & illius naturalibus externis vel accidentalibus: vid. Franzk. *ad t. ff. de contr. empt. vendit. n. 317. & n. 406. & seqq.* aliquid adjiciant; ex cohærentia contractus vim & potestatem efficaciter obligandi accipiunt, actionemq; pro-

producunt: *d.l.7. §.5. ff. de pact.* & quidem illam ipsam, quam contractus, cui adhærent, parit: *l.75. l.79. ff. de contrah. empt. vend. l.6. §.1. ff. de act. empt.* Arnold. Vinn. *d. tr. de pact. c.11.* Videat Dn. Ludvvell, Magnus quondam meus Patron. & Præcept. venerand. *in Exerc. Justin. II. th.2. lit. d. & in not. ad parat. ff. VVesemb. tit. de pact. n.9. verb. non etiam.* Georg. Franzk. *ad d. tit. ff. de contr. empt. vend. n.426* Moribus hodiernis ex nuda quoq; , seriò tamen delibatoq; animo inita, conventionem actionem dari testatur *Wesemb. in parat. ff. tit. de pact. n.9.* Carpzov. *part.2. const. 19. def.17. n.7. & 8.* Vinn. *d. tr. c.7.* vid. D. Hahn. *ad d. n.9. p. m.403.* Dn. Rittershus. *de diff. jur. civ. & Can. lib.3. c.1. in f.*

XLI.

Mulier in legitimum se dans matrimonium: *l.37. §.2. ff. ad Municipal. vid. l.32. ff. eod. tit.* gaudet domicilio mariti sui: *l.13. C. de dignit. lib.12. l.65. ff. de judic. l. ult. §.3. ff. d. t. ad municipal. l. ult. C. de incol. lib.10.* quod etiam retinet post mortem mariti vidua, eò usque, donec ad secunda transierit vota: *l.22. §. Vidua. 1. ff. ad Municipal. d. l.13. C. de dignit.* Bened. Carpzov. *tit.3. de process. art.1. n.53. & seqq.*

XLII.

Connexa sibi præterea communicare privilegia atque immunitates, exemplo est, quòd porticus, Ecclesiæ conjuncta, immunitate quoque & jure asyli gaudeat: *san. si quis in atrio. 7. & can. si quis contumax. 20. caus. 17. quest.4.* Et quæ religiosis adhærent, religiosa sint: *l.43. ff. de R.V. Fac. l. pen. ff. de servit. legat. l.6. C. de profess. & Medic. lib.10.* Ecclesia alteri unita gaudet privilegiis Ecclesiæ, cui unitur, *Gloss. in cap. cum dilectus. 6. de his, quæ vi met. caus. vid. Andr. Gail. lib.2. obs.61. n.12.*

XLIII.

Muliereshonoribus atq; dignitate maritorum eriguntur: *l. ult. C. de incol. corruscantq; illorum radiis, Clarissimisq; personis nuptæ Clarissimarum quoq; appellatione continentur: fœminis enim dignitatem mariti tribuunt: l. fœmina. 8. ff. de Senator. l. 10. C. de nupt. l. 1. C. de dignit. quâ etiam mortuis viris retinent; quamdiu privatæ aut inferioris conditionis hominibus non nupserint: dd. text. nisi id à Principe impetrârint, ut nuptæ minoris dignitatis viro priorem, suam dignitatem retineant: l. ult. ff. d. t. de senator. v. Tiraq. tr. de nobilit. c. 18. Imò mulier naturalis tantû, viro curiali nupta, naturalis quoq; & legitima cenfetur: l. si quis. 3. vers. sed & si filiam. C. de nat. lib.*

XLIV.

Sic etiam laicos propter communem & individua causam cum Clericis, quòd connexû dignius ad se trahat minus dignum, in foro Ecclesiastico conveniendos esse, docent Canonistæ *in cap. per tuas. 9. extr. de arbitr. Pacian. sæpè alleg. tr. de prob. lib. 1. c. 26. n. 59. Tapat. decis. 358. idq; obtinere volentes, sive Clerici sive laici numero existant plures: Mind. d. tr. de cont. caus. c. 4. n. 20. & plurimi ab eo citati Dd. Moribus tamen hodiernis & consuetudine contrariû observari, Judicemq; Laicum quoad Laicos, Ecclesiasticum verò, quoad Clericos cognoscere, testantur Jul. Clar. *in pract. crim. lib. 5. §. fin. quest. 36. vers. evenit. n. 46. Petr. Rebuff. tract. de privil. Vniversit. priv. 106. Gail. de pac. publ. lib. 1. c. 6. n. 18.**

XLV.

Hoc itaq; modo variis illustrata exemplis regula nostra, dispiciendum nunc est, an non in quibusdam casibus officium suum perdat. Et sanè illud perdere videtur in

in negotiis stricti juris. At enim aliud in jure nostro, eadē in connexis militante ratione, obtinere videtur: *arg. l. Lucius. 46. §. Paulus. 4. ff. de adm. & peric. tut. ibiq; Gothof. lit. f. ad quam etiam Bt. annotasse refert Pac. d. c. 26. n. 44.* quòd, quando fidejussor obligatur pro certa alicujus administratione, intelligatur quoq; obligatus pro omni actu connexo ad illam administrationem: & promissio fidejussoris, qui se obligavit pro gestis in tutela, extendatur ad connexa extra tutelam, quæ sunt connexa ratione tutelæ.

XLVI.

Quamvis privilegia quoad præjudicium tertii, & respectu aliorū, privilegio non inclusorum, strictam recipiant interpretationem, nec personā, cui concessa sunt, transgrediantur: *§. sed & quod principi. 6. Inst. de jur. nat. gent. & civ. l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. publ. Carpz. p. 1. dec. 31. n. 13. & seqq.* illorū tamen commoda ad connexa quoq; sæpius extenduntur, privilegiaq; marito concessa profunt ipsius etiā uxori & familiæ: *l. 13. C. de dignit. l. 8. ff. de Senat. l. 6. C. de Profess. & Med. l. 1. §. 4. C. de Episc. & Cler.* Hinc etiā privilegia civitatib⁹ concessa communiter quoq; extendi ad homines in suburbio habitantes, quod in favorabilibus homines suburbani civiū appellatione veniant: *arg. l. edificia. 139. pr. ff. de V. S. tradit Gail. lib. de Arrest. Imp. c. 8. n. 10. vid. Dn. Lauterbach. ad t. ff. de Constit. princip. §. 2. vers. ratione vero. Berl. part. 2. decis. 150. Wesenb. V. 1. conf. 50 n. 22. Hunn in Encyclop. jur. univ. p. 1. tit. 6. de privil. c. 10.*

XLVII.

Statuta, utpote quæ aliàs sunt stricti juris, atq; ita declaranda, ut quàm minimùm à jure communi recedāt: *Jac. Schulz. part. 1. quest. pract. 1. Carpz. part. 3. const. 20. def. 10. n. 7. & def. 11. n. 6. & seq.* nec regulariter ad personas aut casus non expressos extendi amant: de uno tamen con-

Ampliationes regula.

nexorum si loquātur, de alio quoq; sensisse intelligūtur. Dummodo in utroq; eadē disponentis inveniatur ratio; neq; dictum, quod statutum ad literā accipi debeat; aut aliud inde absurdum læsiové tertii oriatur: *arg. c. si civitas 17. de sent. excommun. in VI. Hunn. in Encyclop. jur. univers. part. 1. tit. 3. de statut. c. 7. n. 80. & seq.* Idem que ferè de rescriptis sentiendū esse docet Hunn. *d. tr. p. 1. tit. de rescript.*

XLVIII.

Jus correctorium, eadem militante ratione, ad connexa quoque sæpius porrigitur, & quod in uno illorum correctum, in altero etiā sublatum censetur. Hinc cum Imperat. Justinianus L. Miscellam, nuptiis & procreati-
oni liberorum inimicam, quoad fœminas correxisset, eandē quoq; quoad masculos correctam fuisse, intelligi volebat: *l. ult. pr. C. de indict. viduit. & L. Miscell. toll. vid. tamen Nov. 22. c. 43. & 44. & Franzk. lib. 1. Resol. 15.*

XLIX.

In odiosis etiam dispositio statuentis, quando non contrariū sensisse intelligitur, eademq; occurrit ratio, ad connexa, maximè si alterum non possit stare sine altero, extenditur: vid. Fulv. Pacian. *tr. de probat. c. 26. n. 84. ibiq; plures ab ipso citati Dd.*

L.

*Limitationes
regul.*

Perdit verò regula nostra officium suū 1. quando diversa adest ratio: sufficit enim, ut in uno altero vé tertio connectantur, nec opus est, ut per omnia eodē jure gaudeant: cujus exemplū supra attuli in viro & uxore: *th. 17. arg. l. qui fundum. 7. §. 1. ff. pro empt.* Tuld. *de Jurispr. extemp. c. 31.* Finckelth. *de jur. patron. c. 4. n. 97.* 2. quando connexorum unū sine altero potest stare: *Gloss. in c. preterea. extr. de off. deleg.* sic non omne quod statuitur in templo extenditur ad cœmeteriū ejus: *fac. c. un. de consecrat. Eccl. in VI. Pac. d. tr. c. 26. n. 28. & 91. & mult. seqq.*

LI.

Aliquando etiam 3. virtutem suam perdit in odiosis, & quæ vergunt in tertii præjudicium, *add. th. 49.* adeò, ut sententia condemnatoria contra unum connexorum, lata regulariter non præjudicet alteri, ob diversas rationes, quæ possunt intervenire in condemnatione unius, & absolutione alterius: *arg. l. denunciâsse. 17. §. queritur. 6. ff. ad l. Iul. de adult.* nec præscriptio unius connexi ad alterum connexum extenditur: *arg. l. 7. §. 1. ff. pro emptor.* nisi connexa sint inseparabilia, & alterum non possit stare sine altero: *arg. l. si aliena. 10. §. hoc jure. 1. ff. de usurpat. 4.* Fallit hæc regula, si expressè aliud jure sit statutum: *vid. Finckelth. de jure patron. d. c. 4. n. 97.* plures exceptiones vide apud Pacian. *d. l.*

Satis nunc, si non plus quàm satis, de effectibus connexorum pro decempeda hujus disputationis ad mensum existimo. Priùs verò, quàm colophonem dissertationi huic imponam, aliqua etiam de connexorum contrariis brevibus annectendi animus est. *Contra-Contraria.* *ria* verò *connexorum* sunt *separata*, quæ etiam in jure nostro sæpiùs connexis opposita reperire licet: *l. si cognati. 21. C. de negot. gest. divisa: l. 37. §. 1. ff. de admin. & peric. tut.* Separatorum nulla est conjunctio, & quemadmodum connexorum, uti suprà expositum, unum, ita *separatorum separatum est & diversum judicium:* *arg. d. l. 21. l. ult. ff. de calumn. l. 10. C. de don. int. vir. & ux. ibiq; Gothofr. Fulv. Pac. d. tr. de probat. lib. 1. c. 28. per tot. Cothm. V. 1. cons. 37. n. 411 & seqq. Nicol. de Pafserib. lib. 4. de privat. script. cap. de separat. p. 654.*

LIII.

Separari autem ea, quæ connexa antea fuere, ob causam posse ac debere, superius jam tunc aliquoties, occasione data, indicavi. Causæ verò separationis eadem occurrunt, quæ connexitatis; præcipuæ sunt i. contraria connexionem facientium voluntas; ita socii separantur non tantum mutua, sed etiam unius societatis dissolvendi gratia facta renuntiatione: *l. 65. §. 3. ff. pro soc. vir & uxor jure civili mutua imò etiam alterutro conjugum voluntate: t. i. ff. & C. de divort. & repud. Nov. 22. c. 4.* Jure verò Divino, propter adulterium & malitiosam desertionem dissolvuntur: *Matth. 5. v. 32. & cap. 19. v. 9. 1. ad Corinth. 7. v. 15.* vid. Gerhard. *in Loc. Theolog. tom. 7. §. 624.*

LIV.

Aliquando 2. necessitas cogit, ut connexa separentur: inde est, quod, si V. G. unus correorum Imperio Rom. alter verò Regi Galliarum subesset, coram uno eodemque; iudice controversia tractari haud possit; sed causæ connexitas omnino dividenda fit, & quilibet pro rata in suo foro pulsari debeat. Etenim, ut hujusmodi causæ coram superiori iudice tractari possint, necesse est, ut unus utriusque rei conveniendi superior isque; competens existat iudex: *l. cum unus. 12. §. 1. ff. de reb. auth. jud. possid.* causæ enim connexitas iudici de novo jurisdictionem non tribuit, sed eam, quam in genere respectu rerum vel personarum habet, in eodem genere multis in individuis ampliat atque extendit, uti loquitur Georg. Obrecht *tr. de Jurisd. l. 3. c. 15. n. 32.* istiusmodi verò iudex inter Germanos & Gallos simul consideratos nullus reperitur: add. Mind. *d. tr. de contin. caus. c. 3. n. 8.* ubi communi Dd. sententia continentiam causæ necessariò dividendam esse, si iudex aditus super tota lite non habeat jurisdictionem monet. Hæc pro instituti ac temporis ratione dixisse sufficiat.

DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA
IN SEMPITERNA SECVLA.

Nobiliss. & Clariss. DN. Candidato Amicissimo atque ac honoratissimo.

EXimios inter, quos Norica-Berga tuetur,
Quosque olim coluit Iurisque æquique peritos,
REMOS, DINNROS, LVDWELLOS VNGEQUE BAVROS,
MAGNVS FETZERS quoque prominet, ille Senatu,
Præclarus Nestor, Legatus, in Imperiali.
Det Deus, ut Magno (neque enim invidet iste) Parenti
Evadas major, clarum in lare Lumen avito.

Disputationi Inaugurali adscriptum à
Joh. Conrado Dannhavero D.





Strassburg, Diss., 1665-66



f
TA → OL

nur 5 Bisher verknüpft

WOM




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



PT. MAX
RÆSIDE
onem

21
1666 4.

CON- RUM

Decreto
OBILISSIMI
rum Ordinis
tensi Universitate

ure Honoribus
nsequendis
Censura

Seher /
lis.
artj.
LXVI.



ATI,
DOLHOPFFII,
ES Schük.